

§. XIII.

A subditis ad religionem coactis paria Princeps expectet. Nam ut religionis sancta asservatio & inhibita violatio animos subditorum & Principis adamantino vinculo conjungit, amoremque subditorum conciliat, ita hujus vinculi divulsio affectum subditorum erga principem tollit. *Omnis humane societatis fundamentum convellit, qui religionem tollit aut ex animis hominum convellit* ait Plato 2. de Rep. Perit enim hoc modo apud subditos erga Principes confidentia, quæ Principi ad tuendam suam autoritatem & incolumitatem maximè necessaria est. Nam *frustra se terrore cinxerit Princeps, qui septus charitate non fuerit* inquit Plinius Secundus in paneg. Traj. p. m. 78. Subditi etenim dum se ad religionem cogi vident, truculenta animo versant, & sive palam, sive clam fiant, illi parum curant; hinc nullibi erit tutus Princeps qui de amore subditorum tutus non est. Nescit, an hoste regionem invadente subditi turmatim non accurrant, hostem confortent, ei viam sternant, propugnacula dedant, & in ipsos Principis milites læviant vid. Gramondus Lib. XI. Hist. Gall. p. 528. Oritur proinde apud subditos ex diffidentia odium, ex odio simulas, ex similitate seditio, ex seditioe rebellio, ex rebellione clades, quæ, quamcunque partem feriant, tandem tamen Princeps damnum sentit; hinc ruina ipsius regni, lentè & per gradus appropinquat. Ita quum Duce de Alba sex illis annis, quibus Belgio præfuit octodecim millia hominum utriusque sexus clanculum & palam ob religionem furialibus carnificinis absumpsisset vid. Meteranus Lib. IX. Hist. Belg. f. 154. Residui catervatim ad arma provolarunt, externas copias auxiliatrices acquisiverunt, Hispanos clade affecerunt, alios Principes (quibus hæcenus florentissimum Hispaniæ regnum sudes in oculis fuerat) ad bellum Hispanis inferendum impulerunt: adeoque non solum jugum Hispanicum Belgæ adepta libertate excusserunt, verum etiam aliorum beneficio fulcra hujus regni adeo concusserunt, ut ne in hunc usque diem in pristinum floridi firmamenti statum redigi potuerit; sed quovis momento jam jam irreparabilem ruinam minetur.

§ XIV.

Duriora adhuc expertus est Valens Imperator, qui hæc violentâ ad religionem coactione non solum regnum, verum etiam proprium corpus perditioni subjecit. Erat ipse Arianismo addictissimus: nam & ab uxore ad eum blandissimis verbis invitatus & ab Eudoxio, cum baptizare-

tizare-